

et. Cito colligere arma, ra-
 [tique
 e sinus, ventosque vocare
 autis verbis gratatur amicls.
 rturnque petit telluris amore
 iversa prius lustrata retror-
 [sum
 horsu iam cymbas anchora
 [fundat.
 nt, vicina aut littora, mensas
 are. Pyram de robore secto
 diam, susceptoque igne le-
 [betas
 ue parant. Iam caesa vitelli
 et dura ceres, famis unica
 [dona;
 trepidam despumat; anhelos
 i flammis assare sedendo
 , modo quos collegit arundo.
 tas, oneratis lancibus, escas
 que ex longo ventris acer-
 [bam
 dor, convivia curant,
 nu. Miscetur sylva tumultu
 uitum rupes et littora pulsa
 es et pleno gutture sorbent
 los. Tum demum corpora,
 [vino
 nus nudo complectitur altus.
 um, queis taedia ludi
 is hac census mercede re-
 [pendit!
 octi aequata otia, mensae
 ae reparant, laudesque ma-
 [gistri
 ata operi, atque in pristina
 [vires.
 neu miserae stant praemia
 [genti,
 bmersa, legens percurrit eoo
 Indis solatia vulgo.
 (merum).

Dr. FORNARI, Sponsor.


POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
CORSO UMBERTO I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae:

In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arezzo - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Bibbiena - Bologna - Bolzano - Bra - Brescia - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carrù - Castellamonte - Castelnuovo di Carfagnana - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Como - Cortona - Cuorgnè - Fabriano - Fermo - Firenze - Foiano della Chiana - Foligno - Fossato - Frascati - Frosinone - Gaiole in Chianti - Genova - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciano Marina - Merano - Messina - Milano - Mondovi - Montesampietranello - Napoli - Nocera Inferiore - Norcia - Orbetello - Orvieto - Pagani - Pallanza - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Pontecagnano - Pontedera - Portoferraio - Porto S. Giorgio - Potenza - Roma - Salerno - Sansevero - Segni (Scalo) - Siena - Tagliacozzo - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exterbas gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona - Montblanch in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tautah, Beni, Mazar, Beni Soueff, Bibe, Dessouk, Fashn, Fayoum, Kafr El Chelkh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Alessandretta, Beyrouth, Caiffa, Damasco, Giaffa in Syria - Gerusalemme in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
 pretio quod sequitur:

IOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandium, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulae lib. 1,25; ambae lib. 2.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. - Si tegumento solut. lib. 2; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 3.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae. - Singulae lib. 1,25; omnes lib. 3.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. - Lib. 1.

AI
LAT

Pretium annuae :
 doll. 2,40; sh
 rem, Romam,

LATINAE E

Ling

Vere novo,
 peries arbores
 nibus autem re
 olim locutus p
 scribo. Ceteru
 vel excogitata
 spero ac perfic
 sed Flaccus se
 fierem. Praefar
 te morer, ad r

Latinam lin
 vocari potest, in
 vivere quis du
 tam communica
 nationes loqu
 pientia in orbe
 ipse Anglorum
 num imperium
 pertinebat) - ha
 tinis maxima e
 terae linguarum
 pulchritudinem
 nem adhuc mu
 filiae a matre si
 tus accipere so

ezzo - Assisi - Aversa -
 - Bolzano - Bra - Brescia
 - Castellamonte - Castel-
 astello - Como - Cortona
 ato - Frascati - Frosinone
 Lucca - Luserna S. Gio-
 campietrangieli - Napoli -
 ta - Pinerolo - Piombino
 na - Salerno - Sansevero
 Torre Pellice - Trento -

lonthblanch in Hispania -
 Beni, Mazar, Beni Soueff,
 inieh, Mit Gamr, Zagazig
 Damasco, Giappa in Syria
 in Asia Minore - Rodi in

mariae sunt.

Sociis

ota venum dantur,

ndium, Milesiae
 gendis. - Singulæ

ores. - Si tegu-
 itulo, lib. 3.

Actiones drama-

a fabula. - Lib. 1.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (fr. 12;
 doll. 2,40; sh. 10, etc.); ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI docto-
 rem, *Romam, Via del Governo Vecchio, 96.* ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺

LATINAE EPISTOLAE AD AMICUM

I.

Lingua latina vivit.

Vere novo, novus humor et caeli tem-
 peries arbores alunt et foliis vestiunt; se-
 nibus autem redit vigor. Hinc quae tecum
 olim locutus paucis fueram, nunc fusius
 scribo. Ceterum omnia a me imperfecte
 vel excogitata vel dicta a te corrigenda
 spero ac perficienda. Brevis esse vellem,
 sed Flaccus severe monuit ne obscurus
 fierem. Praefari etiam in epistola licet. Ne
 te morer, ad rem venio.

Latinam linguam, quae Romana iure
 vocari potest, immo, meo iudicio, et debet,
 vivere quis dubitet? Vivit; quin etiam vi-
 tam communicat linguis neo-latinis, quibus
 nationes loquuntur, et civili cultu et sa-
 pientia in orbe terrarum principes. Nam
 ipse Anglorum sermo - (Britannia ad roma-
 num imperium longo temporis intervallo
 pertinebat) - hac nostra aetate radicibus lat-
 inis maxima ex parte constat. Harum litterae
 linguarum a sermonis latini studio
 pulchritudinem, varietatem, magnificationem
 adhuc mutuentur oportet, quo modo
 filiae a matre similitudinem indolis et vul-
 tus accipere solent. Nonne hac de causa

vocabulum quodcumque ad nova inventa
 exprimenda e Latii fontibus illae deri-
 vare in more habent? Quod si interdum
 a Graeco sermone voces deducere expedit,
 nonne secundum latinorum scriptorum
 consuetudinem vel leges id faciunt?

Adde, ubi catholicum nomen audiat vel
 christianum, et classicas litteras florere,
 tum in puerorum scholis, tum in studiorum
 altiorum universitatibus; praesertim si
 haec in sacerdotes de philosophicis et theo-
 logicis disciplinis erudiendos incumbunt,
 principem etiam nunc sermo latinus obti-
 net locum. Academiae quaedam et sacrae
 et profanae eamdem voce et scripto usur-
 pant. Periodica folia insuper, quae cum
 litteratis viris communicant, illo utuntur
 interdum. Quis autem in iuris scientia pe-
 ritus esse poterit, qui latinam linguam ap-
 prime non calleat? Bibliothecae ipsae fere
 omnes magnam partem latine loquuntur.

Sed prope Patavium, vel in Sardinia,
 in Hungaria et in Transylvania, aut Ru-
 menia forte desunt, qui Latii verbis,
 quamvis partim mutatis, loquantur pagi?
 Numne tibi accidit unquam ut in ferriviae
 cursu, aut in itinere transatlantico, si uter-
 que viator vernacula lingua alterius
 ignoret, conversationem cum socio, latini
 sermonis gnaro, inire eamque protrahere
 ad multos dies potueris?

Sed satis hodie de latinae linguae nostris diebus vita. Iterum de hoc negotio, si adiuncta rerum siverint, ad te libenter quamprimum scribam. Te tibi tuisque serva, et vale.

Dab. Romae.

P. SPINA, S. I.



DE FRANCISCALI THEOLOGICA SCHOLA

Magister sacrae disciplinae omnium suo tempore celeberrimus, quem diuturna deinde aetas oblivione mergere non valuit, exstitit Ioannes Scotus, qui inter Minorum agmen, tum Alexandri Alesii, tum S. Bonaventurae vestigia clarissima, non indignus discipulus, sequutus et aemulatus est.

Alesius ille fuerat, cuius de doctrina, ut notum est, rivulos multos ipse S. Thomas in suam derivavit. Qui quidem, - auctore Gersonio in *Epistolis*, - quum rogaretur quae esset optima studendi Theologiae ratio, respondisse fertur, ut unusquisque se in uno praecipue doctore exerceret. Atque ultra rogatus quis doctor esset praferendus, Alexandrum Alesium nuncupavit. « Testantur, itaque - scribit Gersonius, - scripta eiusdem Sancti Thomae, maxime secunda secundae, quam intimum sibi fecerat et familiarem, illum, quem laudabat, doctorem Alexandrum. Et ecce, - subdit idem scriptor, - proh dolor! doctores isti duo, Ales et Bonaventura, vindicentur quasi sepulti cum illis, quorum non est memor amplius praesertim in cordis amore». ¹

Nam et Franciscus quoque Assisiensis, Dominici sollicitudinem aemulatus, precebus enixis ad Dominum rogaverat ut theologos sibi mitteret eximios, qui veri-

¹ Epist. laudans « mellifluam et igneam » domini Bonaventurae doctrinam.

tatem fidei populum docerent. Eos quidem, mandatis in suo testamento relictis, fratres suos iussit semper digno honore proseQUI, scribens: « Et omnes theologos et qui ministrant nobis sanctissima verba divina debemus honorare et venerari sicut eos qui ministrant nobis spiritum et vitam ». Quinimo: nonne alias ipse Sanctus Franciscus similia scripserat ad S. Antonium Ulyssiponensem seu Patavinum? « Placet mihi - inquit - quod sanctae theologiae litteras fratribus interpreteris, ita tamen ut neque in te neque in ceteris (quod vehementer cupio) extinguitur sanctae orationis spiritus iuxta regulam quam profitemur ».

Hoc vero monitum, qui altissimus pariterque praecipuus Francisco Assisinati videbatur, Ioannes Scotus impensissimo studio servavit brevissimo vitae sue curriculo. Nam eius pietas atque vitae sanctimonia obtinuerunt, ut eius reliquias statim post obitum praeclara et publica veneratio homines prosequerentur, eiusque circa nomen aureola quaedam quasi Sanctorum sponte componeretur.

Ioannes Scotus vix trigesimo aetatis sua anno Lutetiae Parisiorum theologiam docebat. Natione erat Hybernum: vultu et persona tenui, viribus debilis, at ingenio ita peracuto, ut deinde « doctor subtilis » compellari meruerit. Magisterium et cathedram quatuor vix annos tenuit, Oxfordii, Parisiis, Coloniae; at volumina edidit paene quinquaginta doctrinae plenitudine ferme miranda aequalibus pariterque nepotibus. Praecipua ex iis titulos habent; *De dierum principio, De primo principio, De Anima, Opus Oxoniense, Reportata Parisiensia, Quodlibetales, Quaestiones et Miscellaneae*. Humilitatis laus eius singularis a Gersonio refertur, scribente: « Placuit huius doctoris inter ceteros meminisse, quoniam ipse non singularitate contentiosa vincendi, sed humilitate uti mihi visus est ». Haec cancellarius Parisiensis uni-

versitatis scribebat, et Vorilongus¹ exemplo confirmat eius ex vita desumpto. « Verum quidem - ait - quod si quis ad cuncta imperia obediret praelati in bono, tunc perfectus obediens esset iudicandus. Sic narratur de doctore Subtili, qui in prato clericorum (*Prè aux Clercs*) visa generalis ministri obedientia, dum actu Regens esset, - (Rector enim Studiorum a Tolosano generali capitulo anno MCCCVII electus fuerat) - in scholis Parisiensibus aut pauca aut nulla de rebus habita dispositione, Parisiis exivit, ut Coloniam iret secundum ministri sententiam ».

Postrema hac in urbe quum per annum docuisse, laboribus fractus immatura aetate concidit anno MCCCVIII. Fratres deposuere exuvias in satis lecta marmoris arca, in ipso Coloniensi celeberrimo cathedrali templo, post altare maximum, in abside nitens. Et hic, iuxta aetatis modum, conditi versiculi eius in lapide legabantur:

*Clauditur hic rivas, fons Ecclesiae, via, vivus
Doctor iustitiae, studii flos, arca sophiae,
Ingenio scandens, Scripturae condita pandens,
In terris tantus fuit; ergo memento Ioannis.
Hunc exornavit, fac caelitus esse beatum.
Pro Patre translato modulemur pectore grato
Dux fuit hic Cleri, Claustrum lux, et tuba veri.*

Tertio autem eius ab obitu saeculo, Raphaël Urbinas, cum theologiae fastos in parietali pictura, quae a disputatione Sanctissimae Eucharistiae nomen vulgo habet, pingeret, Scotum hunc imberbem iuvem inter summos theologos Augustinum, Lombardum, Thomam, Bonaventuram, Ambrosium, iure pingebat.

I. A. C.

¹ In 2, d. 44, q. 1.

*Velle, ac nolle ambobus idem, sociataque laeto
Mens aeo, ac parvis dives concordia rebus.*

SILIUS, IX.

CHRISTI PASSIO in ingenuis veterum Christianorum artibus

Quadragesimale tempus atque Paschatis adventantes dies invitant, ut de Christi Passione aliquid dicamus, quemadmodum in picturis et sculpturis veterum Christianorum invenitur.

Atqui inter priscas coemeteriorum picturas una est solummodo, quae ad Christi passionem pertinere videatur; quinimo de ea doctissimi Christianorum antiquitatum magistri dissenserunt, atque dissentient adhuc Repperit, apud Praetextati hypogaeum, clarissimus Marchi, in eaque iudicavit Iesum spinis coronatum fuisse adumbratum; quam quidem sententiam I. B. De Rossi, atque recens Wilpert sequuti sunt. E contra Garrucci et Marucchi reputarunt ibi Iesu baptismus significari; hisce praesertim innixi argumentis: 1) Propter arboris cuiusdam figuram res in aprico loco agi fingitur; dum, ex adverso, Christus in praetorio spinis est coronatus. 2) Arbor adest palustris, quae aquae seu fluminis propria est, et quidem, in casu, Iordanis adumbratio. 3) Insidet arbore columba, quae Spiritus sancti est species. 4) Christus viatoria veste, nempe tunica cum pallio, est indutus. 5) Foliis potius quam spinis redimitus Christus appetit. 6) Ex duabus viris adstantibus, qui milites dicuntur flagellantes Iesum, alter Ioannem, propter arundinem, quam manu gestat, sane repraesentat; alter vero miles esse non potest, quum haud certe baculum, sed volumen fortasse dextera tenere videatur.

Huiusmodi argumenta haud quidem sunt spernenda; sed - scribit Scagliola¹ - illi qui ipsam, de qua agitur, picturam, tum pluribus abhinc annis graphicæ aut photographica arte repetitam cognoverunt, tum

¹ Notiones archaeol. Christ., vol. II, p. II, c. VIII.

nostra tempestate pluries eam visere potuerunt, haud ea facile, ut a Marucchi exponuntur, admittent. Etenim arbor, quae adest, revera minime palustris dicenda. Ad ambos autem viros quod attinet, in coemeterialibus picturis ac in sculptibilibus, generatim, nonnisi milites ita succincti effinguntur; chlamys videlicet proprium militum vestimentum est, licet ea etiam aliae, perraro tamen, induitae appareant personae. Hodie quidem baculus, quem secundus miles tenet, non ita ut olim clare cernitur; attamen qui bene photographiam repetitionem a Marucchi proditam¹ inspicerit, facile baculum, iuxta prioris militis caput productum, deprehendet; temporis igitur iniuriae tribuendum videatur, si amplius baculus iste integer non appetat. Revera denique imago, quam omnes Christum repraesentare affirmant, coronata est.

Sed praeter haec, iuxta eundem auctorem, alia quoque consideranda occurunt: parum verisimile esse a Ioanne Christum arundine, fere super capite Salvatoris posita, indicari. Qui enim indignum se iudicaverat, qui Christi calceamenta solveret, curnam hic tam parum convenienti modo sisteret? Nonne a pictore, si de tali arguento cogitasset, aliis, isque proprius magisque idoneus, effigi non debuissest indicandi gestus; idem scilicet, quem alibi in picturis coemeterialibus cernimus? Ad quid denique corona? Utique spinae non apparent, sed ne evidenter quidem apparent folia in Christi capite; quae, etiam si lucide paterent, ceteris cum adjunctis concordarent. Non enim hic perfecta, quoad rem, habetur Christi spinis coronati pictura; sed quaedam tantum adumbratio. Ceterum quidquid fuerit, certissime ea, quibus coronatus Christus conspicitur ipsius arundinis, caput quasi percutientis,

folia non sunt. Et aliquid simile in quodam musaei Lateranensis sareophago conspicitur, in quo Christus, tunica pallioque indutus, volumen sinistra tenens, corona floribus intexta a milite redimitur. Qui quidem miles tum vestibus, tum gestu simillimus militis apud Praetextati hypogeum imaginem depicti appetat. Neque officit quod hic galeatus, ille autem nudo sit capite effictus; in eodem enim sarcophago, ad sinistram insipientis, miles nudo quoque capite, et baculo instructus adstat cum Cyreneo. Denique avem, quae arbori insidet, haud certe Spiritum sanctum repraesentare dixeris, quum minime dici possit columba. Neque arbor necessario locum in aprico indicat; nam et alibi in coemeterialibus picturis delineatur, ubi tamen naturae repraesentationis minime conveniret.

Pictura, de qua agitur, primae saeculi II parti addicenda vulgo creditur: ad saeculum VII progrediendum usque est, ut in Christi cruce affixi imaginem, eamque in S. Valentini hypogeo depictam, incidamus.

Ante illud tempus per symbola Christus eiusque patibulum significatur. Ut de agno non dicamus, qui et victimam denotavit, anchoram, tau literam ac tridentem recensebimus. Ipsum enim redemptionis signum rarissime in epitaphiis antiquioribus cernitur; qua de causa non satis constat inter antiquitatis doctores; eoque magis quod crux ante Christum, apud ethnicos quosdam, religiosum fuerit signum. Sic in Cretensibus monumentis, anno circiter MCMVII repertis, et multo ante Christum natum confectis, una cum animalium sacrorum figuris, crucis quoque delineatae cernuntur. Quamquam eae tamquam stellae simplicioris formae esse aliquando videntur, et ex astri figura originem suam duxisse, ita ut apud Orientis

populos non secus atque stella veluti signum divinitatis crux habita fuerit.

Verum si perrara in primaevis Christianorum sepulcris crucis figura est, non desunt tamen symbolica, quae memoravimus, signa ad eam perspicue indicandam; cuius antiquissimum anchora sese offert cum obvia prorsus significatione. Christus scilicet spes nostra est,¹ quia redemptor; redemptio autem per passionem fit, quam resurrectio consequitur;² et haec quidem spes fidelibus est tamquam animae anchora tuta firmaque.³ Ceterum anchora etiam crucis proprie signum esse tum Wilpert diserte demonstravit,⁴ tum ex eo patet, quod anchorae regula, quae in annulo esse deberet, haud raro in medio posita est; aut ipsa anchora ita est erecta, ut crucis speciem referat; aut denique ita anchorae ipsae lineae sunt immutatae, ut verae crucis, magis quam anchorae, formam omnino reddiderint.

Item, in tau literam aliquando anchora vertitur. Atqui tau litera crucis, sive patibuli, signum est; notaque sunt Tertulliani verba, qui Ezechielis textum: « Pertransi in medio portae medium Ierusalem, et da signum tau in frontibus virorum » commentatus, addit: « Ipsa est enim litera Graecorum tau, nostra species crucis ».⁵

Tridentem denique et ipsum pro crucis symbolo esse accipiedum consentiunt scriptores; quamquam raro satis is occurrit.

**

¹ PAULUS, I ad Tim., I, 1.

² I PETRI, I, 3-4.

³ PAUL., ad Hebr., VI, 18-19.

⁴ In Nuovo Bull. di arch. crist., 1902, fasc. 1.

⁵ TERTULL., Adv. Marc., III, 22.

CHRISTO RESURGENTI

*Surrexit!... Hevae plaudite posteri!
Surrexit!... Ira Tartarus infremat!*

*Surrexit, atram qui peremit,
dura ferens moriensque, Mortem.*

*Quum dextra Christi Mortis aculeum
armata posset fulmine frangere,
mavult inermis, dum latescit
forma Dei, superare Letum.*

*Humana Leto membra, nec invia
crudo dolori, cominus obiicit;
ut, sauciis, nos sauciatis
ad vegetam revocet salutem.*

*Obses benignus, vincula sust net,
virgas acerbas, sertaque spinea,
clavos cruentos, lanceamque,
qua vel in examinem ferocit.*

*Quo sic perempto, membra reviximus
inserta Christo: divite gratia
ornata nunc, ornanda quondam
aethereo Superum decore.*

*Surrexit ergo Christus; et induit
iam non caducam, non cruciatibus
obnoxiam carnem, sed in qua
perpetuos celebret triumphos.*

*Iam sole fulget clarior; ocior
volat procellis; clausa per ostia
subtilis intrat: tanta corpus
ex animo repetit decora!*

*O Christe, Leti victor! ovantibus
te salva Tellus, te domus Aetheris
collaudet hymnis! victa vero
Mors rabie fremat impotenti!*

*Tu, quum sepulcro me quoque iusseris
prodire, Iudex, atque resurgere,
da, quaeo, tunc inter beatas
sistar oves, quibus astra pandas.*

IACOBUS ZANELLA.

Omnis Italia, laetitia gestiens, magnis honoribus, celebrem hunc poëtam decorabit, qui abhinc centum annos honesto loco natus est Vicentiae. Sanctissima disciplina excultus in patrio seminario, adolescentulus sacras disciplinas ita arripuit, ut vix dum viginti tres annos natus sacerdotio fuerit auctus.

Acerrimum ingenium nactus, in studio litterarum politiorum ita strenue versatus est et philosophiae, ut mature inter aequales cooperit exsplendescere; et hoc nomine litteras Italas primum in patria traderet, atque mox, ob ingenii et doctrinae praestantiam, ad celeberrimum Patavinorum Archigymnasium summo honore advehetur.

Ita caste, integre, naviter munus obivit, ut sui securus, posthabita etiam valetudine, ab offici religione nunquam declinaret. Vir sollers, industrius, maximique consilii, alumnos doctrinae suae ad exemplar, et castigatissimi cuiuslibet scriptoris, pietate et sapientia insignes optime in se animatos effingere studebat.

Sub externo dominatu, sub Italica ditione, sarta tecta Italicarum litterarum iura ita servavit, atque pravorum magistrorum convicia et impotentiam est aspernatus, ut difficillimo tempore, sacerdotis dignitatem sapientia et virtute cumularit.

Sed certus cuilibet se obiectare periculo maluit quam vel tantillum a sanctitate religionis recedere. Latinorum vestigia secutus, versus et orationes ad romanam pulcritudinem prorsus effingebat. At in primis poëta erat, eiusque poësis tota romana videbatur, ut Lucilius, inquam,

Comis et urbanus, fuerit limatior idem!

Multa carmina composuit, in quibus condensis maxima ingenii varietate usus est. At prae ceteris eius carmina iucundo eodemque sacro sententiarum candore

commendabantur, et in affectata illa stili simplicitate, qua fiebat, ut quaeque ex eius ingenio manarent, nullo prorsus labore fluere viderentur. Adfuit ipse, divino sane consilio, ut, suavissimis suis luminibus christianaे religionis¹ placitis unice aptatis, pravam illorum superbiam protereret, qui perperam soboli Italicae praedicabant ex Christianorum sapientia verum germanumque poëtam nunquam adsurgere posse.

At prae omnibus victor semper per ora virūm volitabit, ob carmen, cui est titulus « *La conchiglia fossile* ». Quid eo humilius videtur, at contra, quid nobilius itemque elegantius? Quam apte enim hominem in orbem ingressurum alloquitur! Non verbum verbo curabo reddere, sed sententias. Sic se habent: « Procede, divine hospes, domumque respice, quam tibi fata dederunt. Servos si adhuc invenis, et lacrimas, terra est admodum recens. Exacta undique caelorum voluntate, terra tunc in lucidis portibus sistat, unde, divino consilio, nova litora exploratura, procedat! ».¹

Quapropter omnes eum elegantissimum poëtam dixerunt, et fluentes illius carminum delicias commemorabunt. Et ipsum a nobis erectum, iuvat identidem audire, divinum illud iter suis ostendere, quod vivens optime excogitavit atque acerrime praesensit, idque perfecit.

Utinam citius adpareat, qui sanctis eius vestigiis insistens, sit alterum litterarum decus, sit praeclarum patriae lumen atque ornamentum!

I. B. FRANCESIA.

¹ En italicis versus:

T'avanza, t'avanza,
Divino straniero,
Conosci la stanza,
Che i fati ti diero;
Se schiavi, se lacrime
Ancora rinserra,
È giovin la terra.

Compiute le sorti
Allora de' cieli,
Ne' lucidi porti
La terra si celi;
Attenda sull'ancora
Il cenno divino
Per nuovo cammino!

DE « MODA »

Quod veteres *Modum* appellant, ut quandam animi ingenique modestiam exprimant, recentiores e contrario, mutato tantum genere, quidquid levissimum est atque ocius euro, *Modam* praedicant, eique concordes omne dant arbitrium, ut regina vestibus potissimum dominetur et calceamentis, et, uno verbo, quidlibet audendi omnis fiat aequa potestas.

Haec vera inscribitur rerum labentium humanarum domina, haec una hominum superborum dominatrix. At quā definiri potest? Volubilis haec hominum dea, dum tu quaeris quae sit, ipsa fugit irreparabilis, nec unquam revertitur.

Ut de hora dicitur, quae, dum petis, quota sit, rapida praeterit; haud aliter est de *Moda* dicendum. Nonnulli eam in primis timidi colunt, at, currente rota, dum omnes eam obtinere videntur, ipsa, nullo prohibente, tacitisque fugientibus aliis, longe abit, et terris evanescit.

Attamen, quum primum appareat, qualiscumque est, aeternitatis quandam notam prae se ferre dictat, eo consilio ut in aeternum sit ipsa victura. Sic semper se gerere consuevit, atque elata voce, exoriens, ut Theseus Vergilianus, *sedet aeternumque sedebit*.

Nec, sane, procul dubio. Omnes enim novissimum usum aptissimum esse uno ore salutant atque iucundum, ceterisque probatissimum; et ob hoc consilium, ut magni iudicij signum, *tellus sudore madescit*.

Nec te credere velim, *Modam*, quae omnes rerum usus hilarescens suscipit, harum rerum inanum usum quibusdam secretis atque indoctis consiliis agi ac perduci, velut casibus obnoxium.

Res enim vera longe alia est. Ut in negotio magni equidem momenti, adest et inclita schola, ad quam convenient intel-

ligentis iudicii viri, qui longa rerum consuetudine edocti, omnibus bene utrumque perpensis, usum tamen eligendum decernunt, penes quem, in posterum, sit ius et norma... vestiendi. Utinam saltem aptus fuerit et commodus! Qualis fuerit, ridiculus aut gravis, simplex aut etiam in honestus, portandus tamen, nullo vindice incolmis. Sic placitum fatis. Ut narrat Vergilius: durumque cubile,

Inarime, Iovis imperiis imposta Typheo,

sic mortalibus imperitat *Moda*.

Utinam pulcher esset, elegans hic mos, atque ex ingenio venustus, concinnus!... Tuæ sunt blanditiae, gerrae! Sic *Moda* imponit, nil valet contra eius stimulum recalcitrare... Sic volo, ipsa clamat, sic iubeo; stat pro ratione... *Moda*!

Quo nomine, saepe vel in anno bis omnia in habitibus innovantur. O terque quaterque fortunati viri religiosi, qui Deo unice devoti, eius quandam immortalitatem secuti, ad caelestia spectantes, mortalia quaeque contemnunt, et invictum a cupiditatibus animum exhibentes, vestem sibi a regulis semel adsignatam hilares induunt, et in aevum retinent! Quid enim dulcius? Quidve iucundius?

Si vero rem intimius scrutari velimus, hanc *Modam*, apte quidem cum duabus humanae naturae conditionibus accommodari videbimus, ut omnes facile agant quidquid ab aliis ante factum cognitum sit. « Haud sum sola, — ait gloriose, — et si forte ceciderim, et alios eamdem iniisse sententiam insigniter gloriabor ». Nonne et Seneca scripsit: « Si mihi cadendum est, e caelis cecidisse velim? »

Est et alia huiuscemodi agendi rationis causa. Hae rerum perpetuae novitates a diutoribus potissimum incipiunt; mox, quum ad tunicatum popillum pervenerint, detinores fiunt atque omnino obsolescant, dum alia simul renascuntur. Hoc unum omnes quaeritant, ad hoc studiose contendunt, ut

se se a ceteris distinguant, atque a communi hominum tramite recedentes, singularem et diversam agendi rationem sequantur.

Haec vero vestium ornatusque levitas tota nostra est. Non ita euidem antiqui. Una diu eademque fuit *tunicati* popelli vestis, et orbis universus, salutaturus Romanos, quasi unice protendit: « Romanos rerum dominos gentemque togatam! ».

At senescente imperio, infusa est in urbem peregrinitas, et Romanorum luxuries et socordia omnem morum dignitatem perdidit. Et Seneca Iuculentius haec mala in urbe nata expressit, quae primum asiatica dicebantur, mox graeca. Sic graphiche depingit: « Torpent ecce ingenia desidiosae iuuentutis... Et capillum frangere et immundissimis se colere munditiis nostrum adolescentium specimen est ».

Haec probrosa peregrinitatis industria magnam rerum novarum colluviem in Romanorum urbem invexit, atque funditus civium consuetudinem mutavit; ut Iuvenalis sic indignatus in suos haec amarissime promat:

*Sed quae nunc populi fiunt victoris in urbe
Non faciunt illi quos vicimus!*

Ultimi tamen qui semper suos retinent mores, etsi vel fractus illabatur orbis, rebusque novantibus pertinaces resistunt, simplices sunt pagorum incolae. Illuc nec *Moda* tam diu, neque alia qualiscumque civitatum novitas, nisi multos post annos, pervenerunt; simplicitas enim felix una dominata est morumque candor.... At, proh dolor! vix nova rerum conditio ingreditur, et recens sapientia exoritur, quae et in speciem honoris optime puellas paganas addebet, ut sitiens ad aquas improbe impellitur, et libero admodum ore haurit et ipsum venenum labiis bibt infelix pagorum pubes; et quum primum has civium improbitates arripiunt, ab ipsis nulla unquam vi dimoveri possunt. Sic, memoria

nostra passim per compita, per vicos, et in primis apud tonsores haec audiebantur: *Cole mihi comam ex more Humberti regis; Pilos ex Caesaris more!*

Et quoniam, novissimis diebus, post bellum, frequentius ad nos venerunt viri Americani, qui sunt septem subiecti trioni, subito sapientiores nostri, qui facile sunt in rerum fluxu principes, ipsos illico sunt imitati in barba colenda; et qui modo imperatorem venerarentur, nunc ad sidera tollunt « republicanos ». O imitatores, servum pecus! Semper peregrinorum assecla Italus, qui candidum ingenium exhibens et generosum, hospitum mores cum dignitate cumulat. Non ita euidem, iudicabunt exteri!

Moda igitur est certa quaedam morum manifestatio.

Quum Itala gens moribus vigeret et commerciis, Florentini argentarii mutuam pecuniam populis extraneis dare consueverunt, ipsisque Anglorum regibus; eorumque uxores domi rem familialem curabant, eique mordicus adhaerebant. Domi frugalitas eo tempore honestabatur, foris grandis maiestas. Et saepe ad negotia profecturi, certissime cum Romanis antiquis dicere potuerint:

*Me pascunt olivae, me cichorea, levesque
Malvae...*

at multis imperitamus qui eleganter vestientes in auro vivunt.

Et graphiche nobilique carmine Florentinas foeminas Aligherius exhibit, demisso habitu, rebus domesticis diligenter inter ancillas inservire, et nulla admodum vestium differentia ab illis distinguui.

Nemo enim in illas illud Terentii vituperium iacere esset ausus:

Dum comuntur et conduntur, annus est!

At illis temporibus respublike nostrae armis atque honore pollentes, nomen Italorum gloria instaurabant et virtute.

Verum vix improba haec *Moda* tristi admodum alite ad nos inventa est, omnia mutantur; et res nostrae cum nomine ruentes in pessimum abierunt.

Quum res Germanorum potens omnis staret, et armis floreret atque auctoritate, et universus fere terrarum orbis illis subditus esset, Berolini magnum hominum collegium erat, quorum consilio tota lex vestium ornatusque regeretur. Cooperunt eis omnia favere, obsequi quae vellet! Quae morum effrenata licentia! Quae turpitudo! Quoniam vero Berolini placebant, omnibus adprobanda erant. Ipsa Parisiorum civitas superbis dishonestisque Germanicis statutis turpiter obediebat!...

At brevi quod hominum excidium omniumque rerum pernicies! Quomodo in tot rerum mobilitate atque animorum inconstantia, nos tandem aliquando ad portum salutis reduces fore speramus? Adsit in omnibus, ut est in votis, Beatae Mariae exemplum in cuius tutela sumus, humilis, pudica, Deo carissima; ipsa, nullis sordibus inquinata, Italiam submoveat ab immunditiis tetrum odorem spiritantibus.

*Te deprecamur supplices
Nostris ut addas sensibus
Nescire prorsus omnia
Corruptionis vulnera.*

Constantia enim, non vanis ingenii opus est, ne pecudum ritu agitantes, vel Iudeorum cachinnos commoveamus, ut olim Italos aetatis sua Aligherius monuit.

Non igitur paucorum vafritia, commodis suis omnino servientium, Italos pervertat; qui aliquando vestigia patrum relegentes, superbissima omnis *Modae* imperia aspernati et instabiles vulgi opiniones atque occiduum rerum humanarum, ad pristinam dignitatem tandem ovantes redeant. Prudentis iudicij viros iubemus Italorum veterum exemplar respicere, ut requiem tandem curarum et laborum fassis hominibus afferant.

SENIOR.

COMMUNIA VITAE

Nomina virorum atque mulierum propria.

Quae de valetudine, morbis atque mendicamentis scripsi, ea, currenti calamo, ita sermonem produxerunt, ut, si argumentum absolverunt quomodo fortasse prius nemo, aliqua tamen satietae taedioque lectores affecisse dubitaverim.

Nescio an opus quod hodie sum aggressurus eadem ratione producatur; spero tamen fore ut gratum acceptumque fiat, nec minus iucundum: nosse enim unde veniant quidve significant nomina, quibus nos nostrique proprie compellamur, nonne omnes oblectat? Ad communia magis me referam - communia enim vitae attingimus - eaque alphabeticò ordine disponam, quo facilius cuique, si velit aliquando et in posterum perquirere, ea occurant: masculina vero a muliebris haud separabo, eoque magis quod, immutata tantum desinentia, alterum ab altero plerumque usurpetur: praeteream denique quae ex latina origine facilem praebent intellectui sensum.

Eia igitur, initium rei tandem sit!

Abelhardus - Teuton. - Valde nobilis.

Achilles - Graec. - Fortasse: « Sine flore lactis ».

Actaeon - Graec. - Litus.

Adalbertus (Adelbertus, Athelbertus) - Teut. - Nobilitate illustris.

Adalfridus - Teut. - Nobilis pacificus.

Adalgisa - Teut. - Nobilis fortis.

Adalmarus (Ademarus, Audomarus) - Teut. - Nobilis celeber.

Adalricus (Aldericus, Atalaricus, Ildericus, Childericus, Uldaricus)¹ - Teut. - Nobilis potens.

¹ Et etiam vulgo Ardingus, Ardighellus, Dingus, Ghellus.

Adalvinus - Teut. - Nobilis bellator.
 Adelais(Adelaite, Adelhaides, Adelasia, Athelasia, Audelinda, Adela, Alda) - Teut.
 - Nobilis puella.
 Adelgardus - Teut. - Nobilis stirpe.
 Adelgundus (Ildegundus, Aldegundus)
 Nobilis infans (Pedes, Virili-animo).
 Adeltrudes (Trudelda) - Teut. - Nobilis amabilis.
 Adinulphus (Adelmus, Antelmus) - Teut. - Nobilis protector.
 Adolfus (Audulfus, Adalulfus) - Teut.
 - Nobilis adiutor.
 Adonis - Graec. - Suavis, Dilectus.
 Adrastus - Graec. - Non fugiens.
 Adrianus (Hadrianus) - Graec. - Ex Adria.
 Agamemnon (Agamemno, Memno) - Graec. - Valde perseverans, Magnanimus.
 Agapitus(Agapius, Agabius) - Graec. - Amabilis, Dilectus.
 Agar - Hebr. - Advena.
 Agatha - Graec. - Bona.
 Agathangelus - Graec. - Bonus Angelus.
 Agathocles - Graec. - Valde gloriosus.
 Ageltrudes (Geltrudes) - Teut. - Cara puella.
 Agenor - Graec. - Strenuorum ductor.
 Agesilaus - Graec. - Trahens ad se populum.
 Agibertus - Teut. - Nobilis illustris.
 Agilulfus¹ - Teut. - Adiutor iuvenis.
 Aglaes - Graec. - Pulcra, Splendida.
 Agnes - Teut. - Pudica.
 Agobardus - Teut. - Nobilis intrepidus.
 Ajax - Graec. - Dolens.
 Alamanus (Alamannus, Mannus, Manettus) - Teut. - Alienigena.
 Alaricus (Albericus)² - Teut. - Potentissimus.
 Albertus - Teut. - Clarissimus.

Albinus (Alboinus, Alpinus) - Teut. - Felix, Fortunatus.
 Alcaeus - Graec. - Robustus.
 Alcibiades - Graec. - Strenuus, Violentus.
 Alcinous - Graec. - Spiritus fortis.
 Alcyon - Graec. - In mari vivens.
 Alcmena - Graec. - Magnanima.
 Aldobrandus (Aldovrandus, Aldobrandus¹) - Teut. - Nobilis illustris.
 Aldus - Teut. - Vir nobilis.
 Alexander - Graec. - Hominibus succurrens.
 Alexius (Alexis) - Graec. - Auxiliator.
 Alethes - Graec. - Veridicus.
 Alphaeus (Alphius) - Teut. - Moribus candidus.
 Alphonsus (Alphunsus) - Graec. - Nutricans; aut potius Albus.
 Alfredus (Alfridus) - Teut. - Quietissimus.
 Aliprandus - Teut. - Celeberrimus.
 Alvarus - Teut. - Magnus bellator.
 Amadeus (Amidoeus, Amadius, Amadusius) - Lat. - Dei amans.
 Amalaricus (Americus, Almericus, et etiam Emericus, Emerigus) - Teut. - Potens illibatus.
 Amalasunta (Amalasuenta) - Teut. - Puella immaculata.
 Amalia - Teut. - Sine macula.
 Amaryllis - Graec. - Fulgida, Splendida.
 Ambrosius (Bosius, Boso, -onis) - Graec. - Immortalis, divinus.
 Amelia - Graec. - Sui neglecta.
 Amilcar (Hamilcar) - Punic. - Rex.
 Amynta - Graec. - Defensor.
 Ammianus - Graec. - Patiens.
 Aimon (Ammon, Ammonius) - Graec. - Arenarius.
 Amos - Haeb. - Robustus, Gravis.

¹ Idem quod Wolfgangus, Gangulfus, Gandulfus.
² Idem Albizus, et etiam vulgo Bicus.

Anacletus - Graec. - Revocatus.
 Ananias (Anánia) - Hebr. - Domini praedictio.
 Anastasius - Graec. - Redivivus.
 Anatolius - Graec. - Natus.
 Andreas - Graec. - Vir fortissimus.
 Andronicus - Graec. - Vir Victoriosus.
 Angelbertus (Anselbertus) - Teut. - Angelus celeber.
 Angelfrida - Teut. - Angelus pacis.
 Angelus (Angiolus, Angiolottus)¹ - Graec. - Nuntius.
 Anicetus - Graec. - Insuperabilis.
 Anna (Nella, Netta) - Hebr. - Speciosa.
 Annibal (Hannibal) - Graec. (?) - Ascendens (?).
 Anselmus - Teut. - Societatis protector.
 Apollinaris - Graec. - Ex Apollo.
 Apollonius - Graec. - Eversor.
 Archangelus - Graec. - Angelorum princeps.
 Archibaldus - Teut. - Animosissimus.
 Archimedes - Graec. - Supereminens, Meditabundus.
 Ardoinus (Arduinus) - Teut. - Vir fortis.
 Argias - Graec. - Nitidus.
 Ariadna (Ariadne) - Graec. - Celebrata.
 Ariobaldus (Aripaldus, Cariobaldus) - Animosus bellator.
 Ariovistus (Cariovistus) - Teut. - Intrepidus in bello.
 Aripandus - Teut. - Bellator celebris.
 Aristarchus - Graec. - Optimus princeps.
 Aristides - Graec. - Ex optimis.
 Aristodemus - Graec. - Inter populares optimus.
 Aristoteles - Graec. - Optimus finis.
 Armelinda (Arminda, Armida) - Teut. - Bellatrix benigna.
 Arnaldus (Arnoldus, Arnoaldus) - Teut. - Bellator fortunatus.

¹ Et etiam Giottus, Lottus, Agnolus, Agnellus, Lancellottus, Lanzellottus

Arnulfus - Teut. - Miles heros.
 Artemisius (Artenisius) - Graec. - Ad Dianam pertinens.
 Arcturus - Graec. - Nordicus custos.
 Aspasia - Graec. - Venusta.
 Athanasius - Graec. - Immortalis.
 Ataulfus (Astulfus) - Teut. - Pater adiutor.
 Attilius (Attalus) - Teut. - Nutritus.
 Augustus - Lat. - Vir illustris.
 Aurelius - Lat. - Optimus.
 Aurora - Graec. - Splendescens.
 Azarius (Azarias) - Hebr. - Auxilium Domini.
 Azzo (Azo, Azzolinus, Ezzelinus, Ecclelinus) - Hebr. - Fortis.

(Ad proximum numerum).

FORFEX

DE HODIERNA ET ANTIQUA HOMINUM VITA VOLUPTUARIA

Ille ego, qui nuper in Taurinenses sum liberius insectatus, quod nimis gustui inseruant, et nimis bellariis studere videantur, eadem usus libertate in moribus leviter castigandis, in extraneos, idem peccantes, invehi haud dubitabo. Et primi mihi sunt obvii Angli, qui per orbem terrarum per vagantes, ut in opibus, sic in re culinaria, primas omnino, inter omnes, referre dicuntur. Nemo est qui nesciat, Anglos passim hellunes aestimari, qui, ob nimiam forte rerum abundantiam, conquisitissimis epulis sibi mensam parare studeant ac prope modum obruere. Toti in illis esse videntur. Quam multa, quamque pleniora referunt! Ni praesentes offendam, ad veteres respiciam.

Qui autem, ut fama perhibet, vel in vasis, non modo in obsoniis comparandis suum ingenium putidius etiam nunc ostendit.

dunt. Haud ignoras in celeberrima Volvici officina magnifica illa fictilia passim perfici, quae ubique gentium maxime laudantur, ubi mirum in modum ars cum materia decertat. Quo facilius vasa illa argentea ac vitrea possit quisque inter edendum iudicare, pauca admodum obsonia feruntur. Prudentiores utique hac in re aestimantur Romani, quorum vestigiis Angli insistere et praesertim in re culinaria student, qui, iudice Juvenali, consueverunt:

*Et quadringentis nummis condire gulosum
Fictile...*

Sed satis sit haec de praesentibus attigisse; iuvat potius, uti dixi, in antiquos curiosius inquirere.

Paullo ante, Esther Singleton, quae nobile sibi nomen litteris comparavit, in ephemeride cui est titulus *Cosmopolitan*, pulcherrime narravit, quibus epulis Anglos olim usos fuisse, et quibus saepe gravissimis pretiis.

Principem locum obtinet Rex Richardus Secundus, qui duo millia coquorum habebat, inter quos aliquot erant industriosissimi ex Gallia vocati; et mille et amplius hospites ad coenam opiparam regalibusque epulis ornatam quotidie invitabat.

Quum Nevill, dissidens Eboraci Archiepiscopus, sedem honoris auspicaturus esset, incredibile dictu, mille circiter vascula fuerunt bellariis unice onerata, quorum quattuor millia erant frigida, totidemque calida. Hodieque in beatiorum mensis, quum aliqua pausa inter edendum cibis datur, quasi ex composito irruit in convivas immensa undique bellariorum copia. Haec miranda novitas rumores convarum suscitat, animosque ad secundas mensas locupletiores disponit.

Paullo maiora, si parvula grandibus componere auserim, musa, canamus!

SUBALPINUS.

(Ad proximum numerum).

ANNALES

Parisiense concilium de pace.

Londinense de pace concilium potius hodie dixerim; summi enim Angliae, Galiae Italiaeque administri non Lutetiae Parisiorum, sed Londini colloquia sua habuere; quorum argumenta, brevi, ut in more nostro est, persequemur.

Ac primum « de Hadriaci maris quaestione ». In qua reapse Iugoslavonii novum auxilium a Wilsono obtinuerunt; qui iterum iterumque protestatus est nulla alia ratione, quam quae a se proposita fuerat, quaestionem ipsam esse definiendam, neque Londinensi pacto ullam vim se unquam daturum.

Resonderunt hisce affectationibus Angli et Galli; repetivit Septentrionalis Americae Praeses; resque in eo statu permanet, quem superiore mense vidimus; imo pluribus iam a mensibus videmus.

Ipse Wilsonus et novo ordini pro Turcarum imperio a collegis proposito obstable videtur: dictant enim illum a se nunquam ratum iri declarasse, ut Constantinopolis urbs in ipso imperio deinceps includatur.

Praeter haec, Londinenses legati oeconomicum Europae, quin etiam orbis universi, statum in disceptationem vocarunt, vota proferentes tum ut commercia cum Russis resumantur, tum ut Germaniae potestas fiat suis vulneribus per laborem reparandi, quo facilius et damnorum refectio ipsi imposta solvi queat. Numne ad Versalientium pactorum aliquam immutationem deveniendum erit?...

Interim Germaniae ius traditum est de iudicio ferendo in bellicorum delictorum sones; circa vero Germanorum Caesaris extraditionem, Batavicum gubernium in sua recusatione perstat.

Russicae res.

In Russia Bolscevicarum factio, quae imperat, ad mitiora consilia devenisse appetit, frenis h̄ic illuc immodicæ atque crudeli licentiae inieictis, pacisque propositis et civitatis suae populis et vicinis oblatis. Certe foedus cum Astonibus die II mens. Februarii sollempniter sanxit; et per mensem... Vladivostok, Odessam, Archangelum urbes per vim occupavit et in suam potestatem redigit.

**

Libertas Hibernico populo concessa?

Qui conatus iamdiu perseveranter firmeque, vel in rigidissimis cohibitionibus, ab Hibernicis producti sunt, ut sua gens sui iuris fieret, eruntne tandem prospero eventu coronati? Nunciatur enim Anglica lex, per quam publicorum legatorum coetus duo, - alter in septentrionali Hibernia, in australi alter - constituendi erunt, cum facultate in unum corpus coeundi, ferendis propriis legibus de publica institutione, de civili administratione, de agricultura, de viis, vectioibus, sponzionibus, de commodis senectuti tribuendis, de tribunalibus, et similibus. Quinimo et alia pollicentur Angli ad id tempus, in quo coetus illi duo in unum coaluerint.

Si rosae hae sint, florebunt...

**

Varia.

Turbulenti motus, quos in superiori recensione nostra attigimus, et in Februario mense passim perdurarunt. Sic ex Catalunia militaris seditio nunciata est; ex Gallia operariorum ferriviis addictorum ex condito ab operibus suis desertio; et ex Lusitania in gubernium rebellio; quamquam haec falso insimulata est, atque intra

limites eiusdem, atque in Gallia, a laboribus desertionis definita.

Romae denique iuvenem Persiae regem hospitem salutavimus.

Kalendis Martiis MCMXX.

POPICOLA.

ROMA SACRA

Ex Pontificia Commissione ad Codicis Iuris Canonici canones authentice interpretandos.¹

Can. 987. - Ad normam huius canonis, impeditis adnumerandus est is, cuius pater vel mater tantum est acatholicus, alter parens catholicus; et etiam in casu, quo matrimonium mixtum datis cautionibus cum dispensatione in hoc vetito contractum fuit.

Can. 1205, § 2. - Sepultura fidelium, quae sit vere et proprie ecclesia, divino cultui addicta, censenda est facta in ecclesia.

Can. 1215. - Periculum offensionis (vulgo malumore), ex parti fidelium et cleri non est gravis causa, quae excusat a transferendis cadaveribus fidelium e loco in quo reperiuntur, ad ecclesiam ubi funus persolvatur. Reprobanda autem est consuetudo non transferendi cadavera fidelium, antequam tumulentur, e loco in quo reperiuntur in ecclesiam.

Can. 1251, § 1. - Doctrina a quibusdam auctoribus prolata, iuxta quam post Codicis publicationem liceat diebus solius ieunii pluries in die carnem edere, retineri « tuta conscientia » non potest.

Can. 1355, 1356, 1441. - In collatione paroeciarum non reservatarum non potest Episcopus imponere pro una vice tantum moderatam taxam favore Seminarii, etiam si paroecia de qua, obnoxia sit tributo huic Instituto solvendo; sed recurrendum est in sin-

¹ Cfr. num. sup.

gulis casibus ad S. Congregationes competentes.

Can. 1990. — Casus qui sequuntur nullum iudiciale processum requirunt, aut interventum defensoris vinculi, sed resolvendi sunt ab Ordinario ipso, vel a Parocho, consulto Ordinario, in praevia investigatione ad matrimonii celebrationem, de qua in can. 1019 et seqq.:

1) Si duo catholici, in loca certe antehac obnoxio cap. *Tametsi* Conc. Tridentini, vel post decretum *Ne temere*, matrimonium civile tantum inierunt, omisso ritu ecclesiastico, et, obtento civili divortio, novum in Ecclesia inire student matrimonium, vel novum matrimonium, civiliter initum, in foro Ecclesiae validare.

2) Aut catholica pars, quae cum acatholica, spretis Ecclesiae legibus, in templo sectae protestanticae (in loco certe antehac obnoxio cap. *Tametsi* Concilii Tridentini, et ubi Benedictina declaratio extensa non est, vel post decretum *Ne temere*) matrimonium contraxit, obtento civili divortio, in facie Ecclesiae novum matrimonium cum catholico consorte inire vult.

3) Aut apostatae a fide catholica, qui in apostasia civiliter vel ritu alieno se iunxerunt, obtento civili divortio, poenitentes ad Ecclesiam redire et cum parte catholica alteras nuptias in Ecclesia celebrare desiderant.



VACUI TEMPORIS HORA

Quum post prandium, abhinc dies aliquot, meridiarer, ac terendi temporis causa librum quemdam Leonis Sanctii, iam inde a tribus saeculis latine scriptum, per voluntarem, in hanc adulescentis cuiusdam mentionem incidi. **Septimillus** vocabatur: « manu promptus, ingenio praefervidus erat, quales habemus permultos, qui caput ad nugas, ventrem ad ingluviem, linguam ad contumelias, posthabita litterarum cura,

convertunt. Ceterum proceritate membrorum, et toto corporis habitu gestibusque dignitatem eximiam praeferebat. Vultus vividus flammeo sanguinis flore subrutilius, albo virente illuminatus, colore langescente sensim in luteum. Culti capitis caesaries genialis, non suo genio flexa sed Arabico nectare temulenta, a temporibus ac fronte sinuosos dispensabatur in cirrulos, ante pendulo zephyri lascivientis eventilanda ludibrio. Bene comptum scilicet festivum capitulum illud erat foris; at intus Aristophanis nebulae, Philostrati somnia, inane peculium, non mica cerebri, non gutta memoriae, sola stupiditas, solae tenebrae in augustissimo illo Capitolo triumphabant. Oculi corvina nigredine, loquaci mobilitate versatiles, de tribu Volsinia. Erant ad petasum semper repandum aureae stellulae, lunulaeque; ad pallioli fimbrias bracteolae concrespantes: in amiculo reticulato ad cervicem distinctae in flosculos frondesque laciniae: et ipse totus ad unguem mundulus, lepidus, hilaris, dulcis et mulsus, oleo tranquillior, passerculo mollior, magis odoratus Arabia, magis elumbis palumbula, Narciso nitidior, cincinnatior Ganimede, Iovi destinatus a poculis videbatur ».

In quot Septimillos eiusdem generis etiam nunc quotidie occurrimus?

* *

Ver adest in limine, eiusque laudes efferti incipiunt. En quomodo hanc anni tempestatem celebravit M. Antonius Muretus (*Orat.*, II, 7): « Verno tempore gemmea pratorum, nemorumque viriditas et rivorum decurrentium allisa et impacta molliter ad pelluentes lapillos argenti similis aquula pascit oculos, mulcet undique aures avium cantus: ab arboribus in novum se florem induentibus odores suavissimi afflantur, ad voluptatem atque oblectationem omnia dirigi eamque spectare unam videntur ». Et infra: « At simul haec

ibi tempestas hyberna desaevit, mutato repente ingenio, caelum incipit omne mitescere: emicant flores, pubescunt prata, frondent arbores, afflant favonii, ventilantur aurae, saliunt undae et murmuré grato sensibus animisque blandiuntur. Quidquid antea pruinis riguerat, rore iam natat; et campi, qui nuper glacie torpuerant, odores ambrosios halant. Qua nives iacuere, virent etiam herbae, fragrant casiae, vernant rosae; qua boreas turbarat, ludunt zephyri, susurrant rami, murmurant rivi; dumque aemulo concentu h̄c frigillae querulae, h̄c achantides blandae, h̄c luscianiae sonorae decentant, vocalis ubique silva est, et grata oculorum aurumque palæstra. Visuntur iam aprici colles et innoxii saltus; iam opaca nemora, et lauri umbacula, et mille amoenitatum theatra; ut regionem totam aliud esse non credas, quam imaginem gaudentis naturae ».

* *

Pauci autem sciunt, ver numeris fuisse et a Pontifice Summo quondam decantatum. Fuit hic Urbanus PP. VIII, qui in poëmate, quod *De ruris laudibus* scripsit, haec de primo vere cecinit:

Quid h̄c moramur? Ecce Ver vices refert.
Ad hasce transvolant plagas hirundines,
Strepuntque voce garrula; haud gemunt Itym.
Liquatur alba nix, geluque solvitur:
Hiems secedit acris, atra nubila
Fugat Favonius, renidet aetheris
Serenus ambitus, fretumque detumet,
Ratique caerulas recludit orbitas:
Opes et uda terra veris exserit.
Novo virent amicta prata gramine,
Novis et arva sunt decora floribus,
Bottosque pampinosque vitis induit,
Fluensque pura fontis unda murmurat,
Et inter arborum tenella germina
Aves canunt, et aura lenis adsonat.

Profecto, alia tunc tempora currebant!...

* *

Locosa.

Tuccius patri:

— Verumne est quod magister hodie nobis suadebat, sumptibus nunc esse summopere parcendum?

— Ita quidem, fili mi.

— Eia igitur, compara mihi automobillem currum, ne calceos conteram.

Pater Tuccio:

— Cura ut crastino mane, ni hora sexta lecto surrexerim, tu me e somno excites. Mihi enim ex urbe est proficiscendum.

— Ne dubites. Modo tintinnabulum pulaveris, ad lectum tuum statim adero.

* *

Aenigmata.

I.

(*Vulgo Rebus*).

C		T
E	beati	beati I
I	beati	beati O
B	beati	beati N
A		beati E

O

II.

Sume duas voces, timidam notat *una vagam-*

[que]

Bestiolam, murmur quam fugat exiguum.
Altera vox ordo est, mortali non violandus,
Qui multat sontes, innocuosque tegit.
Primæ, retrorsum versae, subiunge secundam:
Quo conclave tuum condecoretur habes.

(Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1] *Via*; 2] *Eva*, *Ave*.

losfor.

LIBRORUM RECENSIO

D. TINOZZI. *Minois iudicium* (Romae, ex off. editr. Ausonia, 1919).

Nunc primum, quod libenter fateor, ad me pervenit huiusclarissimi viri nomen, etiam multis antea magnisque laudibus percrebseret ob versus latinos, quos identidem politissimos edidit. Ipse in satyris ingenium suum effinxit, ut hominum errores et vitia non acerrime insectaretur, sed ridenti vultu et socratica quadam ironia vellicaret.

Nuper vero, novissimum carmen idemque laudabile protulit, cui est titulus optime inditus: *Minois iudicium*; ut collegas mox suos, quos *Deputati vulgo nos appellamus*, molliter et suaviter obtrectaret simul et consolaretur, quod, dimissis popularibus oratoribus antiquis, ob novam legem latam, difficile iterum eligerentur.

Et noster, qui inter Oratores saepius electus, semel aut nunquam est publice allocutus, in illo magno contendentium agone, quod a *Montecitorio* dicitur, antequam socii ad lares redeunt, omnes ad *Minois iudicium* vocat, ut de rebus actis rationes referant. Qui gravi veluti somno excitatus atque ultima pertimescens, furentes graviter compescit, ac brevi tranquillatis animis, omnibus dat plenam licentiam dictis.

Quotquot mox celebres Italia viros memorabat, quique se se supremos legiferos sapientesque maximo ore praedicabant, pulcre et argute variis figuris apparent, et qui orator popularis fuit, eundem versibus poëta graphiche refert.

Iuvat Salandram memorare, qui nuper summus ad rerum gubernacula arbiter sedebat, et dulcis uxoris sententia sidera tetigerat, uno verbo, luce vividiori exculptus, venit:

*Altior Ausburgis hic est altiorque Camillo.*¹

¹ Camillus Cavour, qui primus, memoria patrum, vi ingenii atque animi audentia rem italicam obtinuit ac consilio auxit.

Et quam apte ac poëtice Somninium, Sandrae socium, expressit! Et laudat quod prudenter, rebus publicis posthabitis, privatus recessit:

*Felix ante omnes mihi tu, Somninae videris,
Detrectans pugnam: te bene somnus habet!
Post tantos belli gelidos pacisque sudores,¹
Iam rude donatum, te bene somnus habet.*

Dolendum sane, quod tot ingenii virtutes, tot divitis venae carmina, brevi post tempore, ob ipsam naturae legem, ingrato silentio premantur! Utinam strenuus hic musarum latinarum cultor, qui Romanarum elegantiarum arbiter summus videtur, ad altiora rerum argumenta, vi ingenii, tendere studeat! Quam multae equidem

*Hesperiae clades et flebilis unda Pachini
Et Mutina et Leucas pueros fecere Philippos!*

I. B. F.

¹ Nonnullae in carmine mendae, ut in hoc versu irrepsérunt, ubi *sudores*. Sic alias: *Discede et senio metius nunc utere fesso - Pars incompositis movet choreis;* qui versus omnibus numeris absoluti haud apparent. Sed « quandoque bonus dormitat Homerus! ... ».

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Ex collectione, cui titulus: CORPUS SCRIPTORUM LATINORUM PARAVIANUM MODERANTE CAROLO PASCAL, in aedibus I. B. Paravia et Sociorum (Augustae Taurinorum, Romae, Mediolani, Florentiae, Neapoli, Panormi, Genuae (apud B. DIENA bibliopolam), Tergeste (apud L. CAPPELLI, bibliopolam).

T. MARCI PLAUTI. *Stichus*. Ad codicis Ambrosiani praecipue fidem edidit, appendicem criticam addidit C. O. Zuretti. - Ven. lib. 1,50.

CORNELII TACITI. *De vita Iulii Agricolae liber*. Recensuit, praefatus est, appendice critica instruxit Caesar Annibaldi. Accedunt de Cornelio Tacito testimonia vetera a Carolo Pascal conlecta. - Ven. lib. 1,25.

CORALIUM

Carmen FRANCISCI TRANQUILLINI MOLTEDO.¹

Iam fervent, pictisque effulgent aequora cym-
[bis:
Barbarico hinc instructus ope, illinc horridus
[ore
Coetus uterque adstat, iaculis metuendus et
[armis,
Atque popae, multo grege consecstante, su-
[perbi.
Tunc simul accepit sonitum gens aere ca-
[noro
Piscatrix, capite obverso per caerulea saltu
Volvitur in praeeeps: non illi tecta tenaci
Corpora lorica, vitrei aut cervicibus orbes.
Nuda natat, conchasque manu comprehendere
[certat
Forcipis instar, caeca pedes in praelia mi-
[scens
Brachiaque: exacuit fortes in pectore vires
Libertatis amor; letum nam triste paratur,
Ni superas, parta praeda, concedat ad oras.
Nec longum in medio tempus, quem pra-
[scia pallet
Turba metu, mitis quorum sententia cordi.
Nam pelago ut primum rediit piscator inanis
Multa fremens, glaucumque vagis caput ex-
[tulit undis,
Exceptum immagrunt: misero spes nulla na-
[tandi.
Queis tamen exigua quamvis fortuna peracta
Rexit iter praeda, coetus subito obvius omnis
Excipit exanimis pelago, fremituque salutat.
Membra patent laniata canum (lacrymabile
[visu)
Morsibus: atque aures, nasi et spiramina ma-
[nant
Sanguinis imbre; crux calcatur littore mix-
[tus.
Non miseris docta properantia fata medela
Arte fugat, lymphisve imo stat vulnere san-
[guis.
Erumpunt contra voces, mediosque morati

¹ Cfr. fasc. sup.

Semineces, lituos et circum animosa tuba-
[rum
Aera crient; rapido dein una corpora flexu,
Picta genas, laceros gens et foedata capillos
Sollicitat, raucis reboat stridoribus aether:
Talibus invitant pretiis miserabile vulgus.
Interea, vada dum repetunt, cymbaeque fre-
[quentes
Stipantur, sensitque iterum grave pondus et
[ima
Arma mare, ad patrias iam lecta coralina se-
[des
Navigium virgulta vehit, passimque colenda
Tradit heris. Hinc daedalea nempe arte ta-
[bernae
Insudant operi: primum nam examina ramos
Feminea expoliant libro, discuntque colores;
Et ferris instructa manus partitur, edacem
Expertura dein limam, cursumque terebrae.
Fit sonitus: virgulta scabra rubigine nudat
Hinc radiis, pulsante rotam pede, concitus
[axis;
Illinc docta virum per dura sedilia limis
Dextra domat, teretesque globos operata coae-
[quat.
Adductis stridet, terebratque corallia dextris
Arcus, traiecta et filo lapis aspera tundit.
Subtili en varias cestro cogente figuris
Fluxit opus: globuli, pretiosa monilia, inau-
[res,
Armillaque simul, miris et cornula formis.
Quin et caelatis gemmis portenta minutis
Multa vides: flores, conchylia, monstra, puel-
[las.
Nunc age: nec modo cymbarum, hic extrema
[petentum
Lucra, sequi pigeat demum spectacula. Rur-
[sum
Iam duce turmam urgente, dies noctesque
[perenni
Insomnes ludo redeunt; vix fenora festis
Iura negant tantum impune exercere diebus.
Erga claustra maris sese per dissita mittunt,

Atque sinus inter scopulosque antiqua requiriunt
Signa oculis. Eiecta vorat iam pertica linis
Piscatrix patulis, insano vortice, pontum;
Nec requies, quin vel redeant congesta rati-
[pina
Retia, vel prorsus, geminatis ictibus, omnes
Sentiat effoetas tandem experientia cautes.
Ast aetas si prima novis adolere reperta
Cornibus, et circum nondum iactare fluentes,
Seminibus cretis, tenero de corpore ramos,
Non prius haec armis tonderi arbusta magi-
[ster
Cedit, quam largo pubescant semina foetu.
Quare iter in votis melius, qua flatibus ae-
[quor
Eurus agit: natura subest haec insita saxis
Scilicet, ut quae fronte plagae vertuntur eoae
Densa ferant, citiusque comas educere do-
[nent
Coraliis. Qua primum Indus regione salutat
Solem, fertur item, ora movens inolescere con-
[cha,
Et roseas quum, luce nova, micat aethra per
[undas,
Gemmiferos satiata sinus genitalibus auris,
Edere fulgentes, reserato carcere, baccas.
Sed sexto phoebes redeunt iam lumina motu,
Quum fessi rerum peragrant maris omnia cir-
[cum,
Frigore et ancipiti horrescunt, cursumque re-
[cusant
Aequora: iam finem coepitis imponere tem-
[pus.
Subductis igitur proris, quae proxima, tan-
[gunt
Littora, et antiquis adeunt loca sentibus am-
[pla,
Ne patrias remeent sedes sine pondere cym-
[bae.
Festivis lucus resonat clamoribus; orni
Procumbunt pinique trabes, rapiente securi.
Hoc opus, ingentum nautis haec meta labo-
[rum.
Et iam solemnis, seculo referente, triumphi
Lux memor advenit, quum propter Echina-
[das olim
Christigenis turmas scelus expendisse, perem-
[pta
Classe, ferunt Scythicas, suavique rosaria cultu-

Armorum Divae redolent devota potenti.¹
Tum simul arma legunt omnes, laetique fa-
[cessunt
Iussa ducum; requies revocat, patriaeque re-
[menso
Dulcis amor pelago. Drepanum illinc dissita
[classis
Iam subit, et leviter Tyrrheno illabitur aestu:
Hinc aliae pariter forti freta remige naves
Saeva secat Taphri. Non insuper ulla labo-
[rum
Lentat iter facies: sed enim velocior euro,
Eminus electro pelagi fluitante sub undas,
Praecurrit fama, imo procul iam visa per al-
[tum
Lintea. Laetitia matrum chorus omnis anhela
Littoreas complere vias, atque innuba proles
Exceptura suos, qua, iactis pontibus, aequa
Plausta trahit, gemino per stratum tramite
[ferrum,
Mulciber insultans spatiis, Castra usque ve-
[tusta
Polluti quandam, ut fama est, monumenta hy-
[menaei.²
Defixis inhiant, oculis, aurasque iacentis
Aequoris incusant. Tandem tetigere secundo
Flamine iam naves usae, sertisque decorae
Littora. Concurrunt omnes, variaque vocatis
Voce, tener quam fingit amor, mille oscula
[figunt,
Complexaeque fovent matres et vulgus iner-
[mum.
Illico et ingenuae nautae per gaudia pom-
[pae
Servati Superos promisso munere donant.

FINIS.

¹ Intellige dominicam diem primam mensis Octobris.² Castra haec, quorum reliquiae sunt in littore maris, nobilia evasere recessu et consuetudine Alfonsi illius Magnanimi Neapolitanorum regis cum Lucretia ab Allano. Exstant adhuc tres angiportus Turris Octavae, quibus nomen inditum: *Orti della Contessa*.

JOSEPHUS Dr. FORNARI, Sponsor.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.